



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Io. Iac. Chiffletii De Linteis Sepulchralibus Christi
Servatoris Crisis Historica**

Chifflet, Jean-Jacques

Antverpiae, 1624

Cap. X. Alia sacra pignora ex Oriente cum S. Sudario Vesontionem allata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64456](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64456)

iuncto κεφαλῆς, potest significare sudarium, quippe quod ad caput religabatur; at sine illo adiuncto ineptè pro sudario vsurparetur: nusquam autem Vefontinæ tabulæ docent missum Vefontionem à Theodosio *cingulum capitis Christi*; sed absolutè *cingulum Dominicum*: & alia quæ attuli rem fatis probant.

C A P V T X.

Alia sacra pignora ex Oriente cum S. Sudario Vefontionem allata.

VT nemini mirum videatur Hierostratam Vefontinum, pretiosum Sudarij Dominici munus è Palæstinâ ad suam Ecclesiam attulisse; sciendum est, vigente immani & barbarâ Turcarum persecutione, & imminente Christianæ religionis in Oriente naufragio, eduçta è Sacrijs, & per Christianos quouis modo recondita Ecclesiarum pignora. Post captam Antiochiam, tertiâ mensis Iunij, anni M. XC VIII. *effosâ terrâ, in Ecclesiâ Principis Apostolorum, ait Tyrius, lanceam, quâ Christi latus fuerat perforatum, sacri milites repererunt.* & sequenti anno M. XC IX. captâ Ierosolymâ, die decimâ quintâ Iulij, per eosdem inuenta est *portio Dominicæ Crucis*; idq; monitu &

H 2 bene-

60 DE LINTEIS SEPVLCHR. CHRISTI
beneficio cuiusdam hominis Syri, qui tam pretiosi depositi conscius fuerat. Hisce planè diuinis opibus illecti præ alijs Galli, sacra *λείψανα* quàm vi quàm pretio à detinentibus hac illac extorsērunt. Girardus Hallianus ex antiquioribus refert, eos sanctæ illi prædæ ad eò intentos fuisse, vt nihil prætereà è bello sacro in patrium solum retulerint. & verò sacris eiusmodi rebus, Ecclesiæ Gallicæ sunt ditissimæ. Eamdem Vefontinis mentem fuisse quis neget? Henricus præclarus Comes, Vefontione natus, qui Regum Lusitaniæ parens extitit, ad sacrum illud bellum profectus, ab Imperatore Byzantino plures Diuorum reliquias accepit, & in his *brachium S. Lucae*, quod magnâ religione seruatur Braccaræ in Regno Lusitaniæ; *ex Actis Regum Vasconcellij recens editis.* Ita munificus noster Ecclesiasticus (cui æquus est remunerator Deus) sacrosanctum D. N. IESV Christi Sudarium nobis attulit, quo Vefontio nostra felix æternùm seruaretur. Alij eiusdem sacri exercitus Proceres tunc ad nos etiam aliquid *de præputio Domini, de spinâ coronæ, de spongiâ, de simbriis vestimentorum eius*, quæ aureis & argenteis hierothecis conclusa singula, habentur in Sacrarijs Metropolitanis; vbi prætereà seruantur Græca duo notatu dignissima. Primum est in
Eccle-

Ecclesiâ S. Ioannis, quidam vetustatis adorandæ liber, textus Euangeliorum continens, qui solet in publicis Supplicationibus per aliquem è Canonicis ante pectus gestari; *Sapphirum* vulgò vocant, credo ob varias quibus exornatur gemmas. An sapphirus quasi Euangelium? nam סֹפֵר *sopher* Hebræis *Notarium & Euangelistam* sonat, à radice סָפַר *saphar*, quod est *narrare & scribere*. Eburneo tegumento quasi diptychi veteris est opertus, in quo imago Christi media est, hinc inde sunt coniuges per eum vniti, Flavius Romanus Diogenes Augustus, & Eudocia vidua Constantini XII. Ducæ Imperatoris. Ecce tibi iconisimum paginâ proximè sequenti.

Hi supremū Thraciæ diadema sumpsere simul (teste Baronio) Idibus Ianuarijs anni M. LXVIII. annis tantùm duobus supra triginta, ante annum M. C. circa quem proximè Hierostratam nostrum Sudarium Dominicum nobis credimus attulisse: & eò magis indicare id videtur quodammodò prænotati libri veteris tegumentum, quod in angulo sinistro inferiori decoratur æquæuo margaritinæ conchæ fragmento, in quo Christi vultus (qualis in S. Sudario) in expanso per Angelum linteo expressus egregiè cernitur.



Alterum militum nostrorum munus seruatur in Ecclesiâ S. Stephani; Caput S. Ioannis, Christi causâ mendici, cognomento Calybitæ, de quo Martyrologium Romanum editum cum Notis Petri Galefinij, sic habet: xv. Ianuarij, in Bur-^{An. 1583.}gundiâ, S. Ioannis Calybitæ, cuius sacrum corpus multis clarum miraculis Constantinopoli quiescit, caput Chrysoptoli religiosè asseruatur. Molanus idem notat eadem die: S. Patris Calybitæ, cuius pretioso capitis thesauro, urbs Chrysoptolitana incomparabiliter ditatur. Cranium illud, cum allatum est ex Oriente, thecâ æneâ recondebatur, cum argenteo circulo, cui inscripti erant Iambici Græci duo: pro quorum explicatione (admirare simplicitatem æui) anno M. CCC. XXI. Auenionem profectus Ioannes de Corcondrayo Canonicus Vefontinus, chartam quamdam à Græcis duobus Episcopis obtinuit, quam quia omisimus in Vefontione nostrâ, hîc ad longum exhibemus.

Nos Olinanus Dei gratiâ Episcopus Amazondo, Visitator de Limezo & Correo in insulâ Cypri: & nos Leondios Dei gratiâ Episcopus Solia, ac Visitator Nichocia, in eadem Cypri insulâ: notum facimus vniuersis, quod ad presentiam nostram accedens vir venerabilis & discretus D. Joannes de Corcondrayo Scholasticus & Canonicus Bisontinus, quem-

quemdam bacinum cupreum, cum quodam circulo argenteo, quasdam literas Græcas in se continente, nobis Avinione in nostro hospitio presentavit, asserens quoddam caput esse in Ecclesiâ Bisontinâ S. Stephani, quod inuentum esse dicebat in bacino prælibato, nobisq; supplicavit humiliter, quatenus dictas literas Græcas exponere, siue transferre de Græco in Latinum siue Gallicum dignaremur. Visis igitur per nos cum diligentia literis antedictis, bacinum & circulum prædictos, cum magnâ devotione ac reuerentiâ, iteratè ad osculum, propter auctoritatem sanctissimi capitis, quod ibi describitur, recepimus, prædictasq; literas Græcas, unâ cum Nicholino Lyonciue Rhodensi, Magistro Hospitalis S. Ioannis Ierosolymitani, Protonotario, ac Thesaurario dicti Hospitalis, scribâ, de Græco in Gallicum exposuimus, siue transtulimus, per modum subsequenter. Hæ sunt literæ Græcæ circuli argentei:

XEIP MEN BEBHAOC TIMIAN CTNΘAA KAPAN:

AAA' ETCEBHC XEIP IQANNOT CTNΔEEI.

Sequitur dictarum literarum Græcarum expositio:

Les mains de la maule persone, & hereige,

Ceste sainte teste de S. Iean Callybiti despira:

Et les mains dou iuste, & vray proud homme,

Ceste sainte teste de S. Iean Callybiti adorera & prisera.

Sanè

Sanè sciant omnes & singuli, quòd iste gloriosus Dei Sanctus, videlicet beatus Ioannes Calliiti, cuius caput gloriosum per prædicti circuli literas Græcas describitur, cuiusq; corpus sanctissimum in ciuitate Constantinopolitanâ sine capite feliciter requiescit, in tot & tantis miraculis refulget, & in tantâ reuerentiâ in dictâ ciuitate & per totam Græciam habetur ab vniuersitate fidelium, quòd inter Sanctos Dei, iste beatissimus Dei Confessor, post gloriosum Ioannem Baptistam, à Christi fidelibus totius Græcia & partium circumadiacentium præcipuè veneratur, & etiam communiter adoratur; Festum cuius annuatim quintâ decimâ mensis Ianuarij solemniter celebrari consuevit, & in ipsius Vigiliâ ieiunium communiter obseruatur. In cuius rei testimonium, ad gloriosi Confessoris laudem, & eius sanctissimi Capitis reuelationem, sigilla nostra vnâ cum sigillo prædicti Nicholini ciuis Rhodensis, presentibus literis duximus appendenda. Datum, translatum, siue expositum, Auinione, in multorum fide dignorum præsentia, anno à Natiuitate Domini M. CCC. XXI. Indiçtione IV. die XVII. mensis Aprilis, Pontificatus sanctissimi Patris & Domini, D. Joannis diuinâ prouidentiâ Papæ XXII.

Huc vsque charta Græcorum Antistitum, in quâ quia versus illos Iambicos Gallicè dumtaxat

66 DE LINTEIS SEPVLCHR. CHRISTI
taxat, & periphrasticè reddiderunt, sic nos ad ver-
bum Latinos fecimus:

*Manus quidem profana venerandum contundit
caput;*

Sed pia manus Ioannem veneratur.

Constat, (ex eius historiâ apud Metaphrastem)
eum, cùm mater tamquam ignotum mendicum,
& aspectu horridum, domo egrediens summo-
ueri mandasset, per vim abreptum fuisse; & pro-
babile est tum pugnis caput eius contusum à fæce
feruorum. Potest etiam dici, vocem ἰωάννης in se-
cundo versu, ad κἀγαθὸν referri; adeoque verti,

Sed pia manus Joannis [caput] colligat.

alludendo sic ad circulum argenteum, quo capsula
capitis ænea cincta erat.

C A P V T X I.

*Sudarium Vefontinum miraculis illustre: amissum,
recuperatum; eius vi mortuus suscitatus, & rger
persanatus.*

VIDIMVS suprâ ex Bedâ, Sudarium Domini,
cùm adhuc in Palæstinâ seruaretur, magno
miraculo medijs è flammis intactum euasisse,
Mahuuiâ Rege Sarracenorum spectante, circa
annum incarnati Verbi DC. LXXV. Superest vt
aliquot